



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

44. An qui per seipsum, sed per alios legit aliquem librum Hæretici hæresim continentem, seu ex professo de Religione tractantem, incurrat in excommunicationem Bullæ Cœnæ, ita ut per Cruciatam sit ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76369)



Sub nomine Hæreticorum; sic eorum libri, hæretici iudicandi non sunt, ut notavit Soufa in *Bull. Cæn. c. 2. disput. 13. concl. 1.* Bonacini *de cens. disput. 2. punct. 3. num. 4.* Alter *de cens. tom. 1. lib. 5. disp. 2. c. 7. fol. 472. cas. 2.* & alij.

Sup. hoc in  
tom. 5. fol. 10.  
Ref. 140.

4. Notandum est etiam, quod paruitas materie non solum datur, ut diximus, in legentibus, sed etiam in retinentibus libros Hæreticorum. Et ita, si aliquis per duos dies non consignaret Inquisitoribus dictos libros, non incurreret in excommunicationem. Ita Sanchez in *summ. lib. 2. cap. 10. num. 55.* & Duardus in *expl. Bull. Cæn. lib. 2. can. 1. quest. 51. numero 33.* & alij.

### RESOL. XLIII.

An qui legit librum Hæretici qui non tractat de Religione ex professo, neque continet multas hereses, sed unam tantum, incidat in excommunicationem Bullæ Cænæ, ita ut per Cruciatam sit absolvendus? Ex p. 1. tract. 11. Ref. 3.

§. 1. Non incidere in censuram Bullæ Cænæ, putavit Sayrus *de cens. lib. 3. cap. 5. numero 12.* & Grassius in *decif. p. 1. lib. 4. cap. 18. numero 40. & 42.* quia, ut incurrat excommunicatio Bullæ, necesse est, ut liber ex professo de religione tractet, aut de hæresi, non autem si tractet de aliis rebus, & obiter dicat aliquam hæresim.

2. Hanc autem sententiam reprobatur Sanchez in *summa, tom. 1. lib. 2. cap. 10. num. 34.* qui citat Suarez: & idem docet Bonacina *de cens. disput. 2. quest. 5. punct. 4. n. 19.* cum Alterio in *Bullæ Cæn. tom. 1. disput. 2. lib. 5. cap. 6. fol. 470. in fin.* & Portel. in *add. ad dub. regul. verb. libri prohibiti, num. 8.* quia Bulla solum requirit, ut liber hæresim contineat: quod quidem verificatur, si unam tantum contineat. Et ideo, stante hac opinione, taliter legentes non sunt per Bullam Cruciatæ absolvendi.

3. Non reticebo tamen Fillucium *tom. 2. tract. 12. cap. 7. num. 204.* & etiam Soufa ex Prædicatorum Familia, primam opinionem contra Suarez, & Sanchez docere, & ideo in *expl. Bull. Cæn. disp. 13. c. 2. concl. 2.* sic asserit: [Qui legit, licet absque Sedis apostolicæ licentia, Hæreticorum libros, qui ex professo hæresim non continent, vel de religione non tractant; quamvis hæresim aliquam contineant; per hanc Bullam non excommunicatur.] Ita ille, Et probat hanc sententiam multis rationibus, quæ apud ipsum videri possunt. Hæc sententia videtur probabilis, licet contraria sit probabilior.

### RESOL. XLIV.

An qui non per se ipsum, sed per alios legit aliquem librum Hæretici hæresim continemem, seu ex professo de Religione tractantem, incurrat in excommunicationem Bullæ Cænæ, ita ut per Cruciatam sit absolvendus?

Et quid est dicendum, quando qui audit legere, induxit legentem, ut legeret?

Et an famulus ex mandato heri legens incurrat in censuram, nisi ignorantia excusetur?

Et si famulus, vel alius fuerit compulsus ad legendum librum hæreticum in contemptum Fidei, & hoc non obstante, faciat, an peccet mortaliter, & incidat in excommunicationem Bullæ Cænæ? Ex part. 1. tract. 11. Ref. 33.

§. 1. Incurrere in dictam excommunicationem putat Alterius *de cens. tom. 1. disput. 2. lib. 5. cap. 6. fol. mibi 430. col. 2.* quia in nostro casu putat specialiter per seipsum legere qui per alium legit. Idem docet Sayrus *de cens. lib. 3. cap. 5. num. 14.* & Grassius in *decif. p. 1. lib. 4. cap. 18. num. 34.* & Azorius *p. 1. lib. 88. cap. 6. quest. 4.* & novissimè Layman *lib. 2. tract. 1. cap. 15. n. 6.* Megala in *3. p. lib. 3. cap. 1. num. 38.* Reginaldus in *praxi, tom. 1. lib. 9. c. 14. n. 250. & 251.* & Suarez *tract. de fide, disp. 20. sect. 2. n. 19.*

2. Sed contrariam sententiam docet Fillucius *tom. 1. tract. 16. cap. 3. num. 45.* & *tom. 2. tract. 22. cap. 7. num. 207.* Soufa in *Bull. Cæn. c. 2. disp. 14. num. 4.* Sanctarellus *tract. de heresi, cap. 13. dub. unico, num. 8.* Scoria in *Bull. Pontif. epitome 166. theorem. 410.* Vgolinus in *Bull. Cæn. canon. 1. verb. ac eorumdem libros §. 1. numero 4.* Duardus in *expl. Bull. Cæn. lib. 2. can. 1. quest. 48. num. 4.* Sanchez in *summa, tom. 1. lib. 2. cap. 10. num. 48.* Bonacina *de cens. disputat. 2. quest. 5. punct. 4. num. 11.* qui male pro hac sententia citat Reginaldum; nam contrariam docet.

3. Sed hanc sententiam tenet etiam Portel. in *addit. ad dubia reg. verb. libri prohibiti, num. 11.* ubi sic asserit: [Non incurrit censuram Bullæ, qui audit legere librum hæreticum audire enim non est legere; & verba legis pœnalis sunt accipienda in significatione propria & stricta. Et hoc verum censo, etiam si is, qui audit legere induxerit legentem, ut legeret: nam inducere, ut aliquis legat, non est legere. Et censura posita contra facientem, non ligat consulentem, nisi id exprimat in ista Bulla, contra consulentem ut tales libri legantur. Incurrerit verò censuram famulus legens ex mandato heri, nisi ignorantia excusetur.] Ita Portel. At ego puto, his non obstantibus, non esse recedendum à prima sententia affirmativa.

4. Nota verò, quòd si dictus famulus fuerit compulsus ad legendum librum hæreticum in contemptum fidei, & hoc faceret, secundum Bonaciam, ubi supra, & alios non solum peccaret mortaliter, sed in excommunicationem Bullæ incidere. Sed quoad excommunicationem negat noster Duardus *loco citato num. 13.*

### RESOL. XLV.

Virum, qui legerit epistolam seu literam missivam alicuius Hæretici, in qua aliquam hæresim doceret hanc excommunicationem incurrat; unde virtute Cruciatæ absolvendus sit?

Et quid de retinente, aut imprimente Epistolam, concionem, aut aliam papyrum Hæretici solutam, nec in tractatus formam redactam? Ex part. 1. tractat. 11. Ref. 34.

§. 1. Incurrere talem epistolam legentem, excommunicationem Bullæ Cænæ, mordicus defendit noster Megala in *3. part. lib. 3. c. 1. n. 55.*

2. Sed contrariam docet Sanchez in *summa, tom. 1. lib. 2. cap. 10. num. 29.* ubi ait: [Credo non incurtere excommunicationem, legentem, aut retinentem, aut experimentem Epistolam, concionem, aut aliam papyrum hæretici solutam, nec in tractatus formam redactam; quod hæc in communi, & visitato loquendi modo, minimè dicantur libri: nec militat eadem ratio quæ in libris: hi enim multò amplius extenduntur, atque diutius permanent.] Ita Sanchez, quem postea sequuti sunt Portel. in *addit. ad dub. regul. verb. libri prohibiti, num. 7.* & Soufa in *expl. Bullæ Cæn. c. 2. disp. 13. concl. 1. n. 5.* Duardus in *expl. Bullæ Cæn. lib. 2. can. 1. q. 15. n. 11.* Layman in *Theol. mor. lib. 2. tract. 1. cap. 15. n. 1.* & alij. Sed censo in priori sententia persistendum esse.

RESOL